Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 607

Quelle:
Copyright:

νεκρικὸς numero XII. edit. *Reitz. Amſtelod.* T. I. 1743. p. 380. 4. Interpretis *Joh. Auriſpae Siculi Notenſis Ferrariae* 1460. defuncti Acta et Scripta referunt Illuſtr. *Mazzuchellius* in *Scriptt. Ital.* et ſupra laudatus Bibliothecae *Ateſtiae* Praefectus *Tiraboſcus l. cit.* p. 265. Prior Codices *mſs.* Verſionis noſtrae plenis quidem volis admetitur, Editiones vero diſſimulat. At objacet mihi *Lipſienſis* per *Jac. Thanner.* 1500. 4. quam vix dubitem ex anteriore aliqua *Italica* expreſſam fuiſſe, niſi malis, Codicem *mſ.* ab aliquo *Italorum*, qui per id tempus in ea Academia profitebantur, allatum. Nihil de Verſione aut Editione noſtra *Fabricius Bibl. gr.* L. IV. c. 16. p. 492.

III. *fol.* 20. p. 2. *Clariſſimi omniumque philoſophorum doctiſſimi Platonis de anime immortalitate phedon. Feli. incipit.* Verſionis hujus Codices enumerat complures *Mazzuchellius*, nullo tamen verbo meminit, eam inſcriptam fuiſſe ab autore *Leonardo Aretino Innocentio* VII. Pontifici, cujus uno ſaltem anno, videlicet a 1405. ad 1406. quo obiit ille, Secretarium egit. Et extat in *Codice* noſtro per Librarii errorem fol. ult. *Leonardi Aretini ad Inocentium pontificem Maximum in translatione phedonis probemium,* quod, cum unacum ipſa Verſione ἀνεκδοτον putem, et non nihil ad res *Innocentii* illuſtrandas facere cenſeam, huc transferre placuit.

Qui laudant ſanctitatem tuam, beatiſſime pater, opus certe bonum ac pium agere pergunt, ſed contra tamen atque ipſi uolunt efficere uidentur, rem enim ſupra ſuas uires aggreſſi, cum magnitudine eius parem orationem preſtare non poſſunt, tantam audientibus illam uideri faciunt, quantam ipſi queunt uerbis referre, cum ueritate longe ſit maior. Ego autem ſummas ac ueras laudes in ipſis operibus tuis habunde patere arbitror, nec eloquentia omnino indigere, qui in ſummo faſtigio rerum ſummaque licentia conſtitutus ita ſalubriter omnia gubernas atque moderaris, ut uniuerſi homines probitatem ac ſanctimoniam tuam magnopere admirentur. Hec cum per ſe illuſtriſſima ſunt, tum ea de cauſa magis elucent, quia exoleuerant iam a ſeculo noſtro, nec multis annis in eccleſiam dei reduci poſſe credebantur, que a te intra paucos menſes ſumma cum prouidentia uidemus reducta. Te enim antiſtite nihil ambitionis nihil iniquitatis nihil omnino ſordis auditur aut cernitur. Tu enim omnem pompam omnemque indignam potentiam repuliſti. Tu non ui nec armis, ſed iure ac legibus ualere uoluiſti. Tu domum dei accepto flagello domum orationis reddidiſti, pro quibus profecto rebus uniuerſi fideles, ſi modo fideles eſſe uolunt, optare debent, te immortalem, ſi natura pateretur fieri, ut oues dominice ſub tam optimo paſtore diutiſſime paſcerentur. Sed cum inter ceteras tuas laudes quoque ſit rerumque ſcientia, putaui fore tibi

non